

II. Lampen

Die Zahl der Lampen unter den Grabfunden von Doclea ist ebenfalls gering, nur 4 Stück. Die ersten drei gehören den sg. Bildlampen an, und die vierte den Firmalampen, mit dem Stempel Agilis f.

Die Lampe Nr. 1 gehört dem I. Jahrh. an (gefunden mit der Münze des Domitianus), Nr. 2 (A. Pius), 3 und 4 (Hadrianus) gehören dem II. Jahrh. an.

III. Schüsseln

In einem Skelettgrab wurden drei keramische Schüsseln oder Teller gefunden (Nr. 2, 3, 4), außerdem in anderen Gräbern, noch eine ganze und ein Fragment. Alle Exemplare gehören dem Typus der sg. falschen Sigillata an, auf welche K. Kübler hinwies, und Waagé weitere Funde dieser spätrömischen Keramik in Antiochia machte.

Die gefundenen Exemplare, außer Nr. 5 sind roter Farbe, mit leider abgewaschenen Überzug und ornamentierter Innenseite. Sie gehören wahrscheinlich dem ägyptischen Import des IV. Jahrh. an, und in Ägypten ist bestimmt auch ihre Herkunft zu suchen. In Doclea zeigen sie entweder die Handelsbeziehungen der Stadt mit Ägypten oder aber die orientale Herkunft der beigesetzten Toten.

IN VELIS CAERULEIS

Contremiscentia vela caerulea
super trementia corda nostra
aliquid de omnibus praesagentia

Et in velis caeruleis cicadae
texentes aestatis pulchritudines
carminibus suis ebris

Et nos per litora vagantes
venustatem solis in animis nostris videntes
admiratione stupentes
oculi nostri ad punctum temporis
intuentes se in speculo
somniaurum immensorum

Et momentum temporis
papilio petulans
arridens nobis alis plenis
solari lumine
in cunis cordium
manebit sicut alma
velorum caeruleorum recordatio . . .

PARVUM ITINERARIUM LYRICUM

I San Marino

Ecce:

Hic scopulus
nidus aquilarum
sub caeruleis caelis
manibus non tangentibus
En:

Cunae libertatis
quas quaerimus
saepe in cordibus
cum occultis precibus
Cacumen montis summi
memoriam custodiens Sancti Marini
splendens in sole
circumclusus vento
est calix lucis in manu immensitatis
salutem propinans hospitibus:
— Avete omnes
quibus anima libertatis est plena! —

II Fons Perusiae

Splendet fons in foro solus
ut flos lucis plenus
quem donavit oculis
scalprum Johannis ex Pisis
ut esset monumentum pulchritudinis
et cum aquis effudentibus
auribus hominum amoenum
In fonte:
Tres puellae utrariae
pallio vitreo amictae
die noctuque
cantant cantum recentium aquarum
spargentes in horis matutinis flores albos
donantes flores rubros tempore crepusculi

Salientes aquae
in corde Viatoris inquieti
rhythum excitantes tumultuantem
et cum eis desideria
illa de ignotis rebus pia!

III Meridies in Foro Romano

Circum nos in angulo opaco
rubri florent flores oleandri
praeteritorum somnia vocantes

Tantum prudentes cicadae
cantica cantant sua laeta
dicentes:
Videtur monumenta quondam splendida
a Tempore nunc spreta!

Et omnia micantia in splendore lucis:
columnae
tropaea victoriae
aediumque ruinae
sicut senes et aniculae
utuntur sole sine naenia

Ut gradum in aetatem nostram faciant
deest illis baculum
Propterea hi senes et hae aniculae
cicadarum cantilenam
vix auribus accipientes
tantum
expectant crepusculum!

(1968)

Vinum et panis

In manu Viatoris Longinquitatis
plenum vini poculum
Solis vinearum ignotarum
in quo cantant
ebriae alae cicadarum
Et viator bibit purpuream lucem
ex sinu glebarum
Volant verba post haustus ut aves
in rostris ferentes auream facem
Singuli haustus visiones procreantes
laetae amaraeque memoriae
omnia aranearum opera obvolventes

*

Frangunt panem
digiti tremuli Viatoris
Regionum ignotarum
dum sopor cum odore aristarum
in corde arridentes agros suscitatur
et ille videt ventum et solem
et papavera rubra
Et Viator odorosum sumens cibum
cor glebae edit
in quo vivi et mortui
animam vitae eius excitant...

Zagreb.

Ton Smerdel.

POETRIAE CROATICAЕ TEMPORIS NOSTRI

Marija Petričević:

De cataractis albis

Sonores edunt cataractae albae
sonos in corde meo
carmine edunt

Per rupes labuntur abruptas
ac aquae earum
splendent in sole,
in sole splendent ut margaritae.

Sonores edunt cataractae albae,
sonos in corde meo
carmine edunt.

*

Nada Iveljić:

Statua ex terra cocta

Sanguis cum tempore fit crebrior
Exalantibus ex eo omnibus rosariis nubibus
et cum omnes desunt ad bibendum reliquum virium
iuxta rubram propinationem
cognitiones manent sanguinem glaciantes
in concretum cogentes

Sensim mundus cum corpore in eo amisso
una coniungitur
Plus nihil victum, omnia quasi perspecta
Aversa prius erant, sed nunc sanguis creber
cum argilla fusus ex terra cocta creat statuam

Et nulla re praescriptum
quantum in ea hominis
quantum in ea terrae

*

Vesna Parun:

De domo in tramite

Iacebam in pulvere tramiſis
nec vidi faciem eius
nec ille faciem meam vidit.

Stellae descenderunt, et aer caeruleus erat.
Nec manus eius vidi
nec manus ille meas vidit.

Solis ortus factus ut malum immaturum medicum.
Propter avem unam oculos aperui.
Tum cognovi quem
in tota vita amavi.
Tum cognovit ille cuius manus
amplexus esset egentes.

Tum homo involucrum tollens profectus
domum suam lacrimas profundens.
Etiam domus eius ut mea
pulvis in tramite.

*

Ljiljana Matković:

Reconciliatio

Quotidie fata dimitto
quae me non expectaverunt
ac dies
qui me ad suas
aureas cellas promptuarias
non portaverunt.
Quotidie verba deduco
quae etiam illi
quos amabam non audiverunt.
Quotidie vitam meam deduco
in nube contractam
ad caelum volare promptam.

*

Marija Čudina:

Non est momenti magni

Non est momenti magni quod homines
nos morituros lacrimabunt,
non est momenti magni quod mulieres
sine equo et heroe manebunt,
quia ex omni morte in multitudine rerum
novae et pulchriores puellae orientur.

Non est magni nobis momenti
quod ut canes vitam inopem colentes
in hortis mansimus soli,
quia post nos tantum in amaris cymbis velis euntibus
quidam novi cupidiores pueri
ad ripam admovebunt.

Vesna Krmpotić:

De voce aquae in flumine

Quis me fregit ad flumen,
me, quam aquam vocant?
Quis mihi fatum fontis orisque dedit?
Quis indixit mihi mortem,
mihi quae immensa sum?

Inter solem et lunam
inter ripas laetitia exultarem staremque,
ego redirem,
sed non possum.
Et ille qui me catenis
seditionis et infirmitatis colligavit
nunc tormentum meum haurit,
ut mundo manum imponat.

Zagreb.

Versiones: T. Smerdel.